



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. VII. De numero & ordine Sacramentorum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

accipit ab usurario jam parato mutuo dare ad usuram. Si verò ille non sit paratus, non licet ipsum inducere ad conferendum sacramentum, nisi in casu necessitatis, aut nisi minister teneatur ex officio sacramenta ministrare; quilibet enim sacerdos ex caractere tenetur in casu necessitatis, etiam si non habeat curam animarum, ministrare sacramenta ad salutem necessaria: ille verò qui habet curam animarum, tenetur ex iustitia, nedum in casu necessitatis, sed etiam propter subditorum suorum utilitatem. Unde qui inducit malum ministrum in casu necessitatis, & eum qui habet curam animarum, extra casum necessitatis, utitur jure suo, ac proinde nulli facit injuriam; & quamvis minister indeumat occasionem peccandi, in peccato ministrando, hoc tamen non intendit ille qui petit, sed solum inducit ministrum ad illud sibi præstandum quod debet, quodque posset fieri sine peccato, si ipse minister vellet penitere. Denique in casu extremæ necessitatis, licitum est recipere sacramenta à quocunque ministro, etiam non tolerato, quantumvis infideli, hæretico, vel apostata, quia Ecclesia non abstulit ministris malis facultatem administrandi in casu extremæ necessitatis sacramenta quæ fideles tenentur ex præcepto divino recipere, aliàs irrogaret injuriam divino præcepto, & supra divinam potestatem usurparet.

118. Quæres secundo, quam dispositionem teneatur habere malus minister in prædictis casibus sacramenta ministrando?

Respondeo juxta quosdam Authores sufficere attritionem, juxta alios, requiri sacramentalem confessionem; alios verò docere, attritionem non sufficere, neque necessariam esse confessionem, sed solum contritionem, saltem existimatam. Unde juxta horum Authorum sententiam, ut malus minister non peccet, sacramenta in prædictis casibus ministrando, debet facere quod in se est ad veram contritionem habendam, quamvis aliquando in re non sit contritus, sed in sua solum probabili existimatione. Et hæc sententia est verior, aut saltem probabilior aliis. Ratio est contra primam opinionem, quia sola attritio non tollit malitiam peccati mortalis, etiam in existimatione peccantis, nec consequenter indignitatem ministri, bene tamen contritio. Contra secundam verò, quia nullum extat præceptum de præmittenda confessione sacramentali administrationi sacramentorum in prædictis casibus: neque enim habetur in sacra scriptura, neque in jure, neque ex traditione, aut consuetudine colligitur, neque oritur naturaliter ex natura administrationis sacramentorum. Hinc tamen excipe sacramentum Eucharistiæ, ad ejus enim administrationem, si habeatur copia confessoris, necessario debet præmitti confessio sacramentalis, ut dicemus in Tractatu de Eucharistiæ.

DISPUTATIO VII.

De numero & ordine Sacramentorum.

Ad quæst. 65. D. Thomæ.

AD complementum hujus Tractatus, duo solum hic nobis restant explicanda, nimirum quot sint novæ legis sacramenta, & quem ordinem servant inter se, tam quoad

A naturam, quam quoad perfectionem & necessitatem. Unde sit

ARTICULVS PRIMVS.

Quot sint novæ legis sacramenta?

Circa numerum sacramentorum novæ legis Crij sunt Hæreticorum errores; alij enim unum tantum admittunt, alij duo, alij tres, refert Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 23. eorum inconstantiam in numerandis sacramentis deridet ac refellit. Sed his brevitas causæ permittit.

B Dico, septem esse novæ legis sacramenta, plura, nec pauciora.

Conclusio est certa de fide, sic enim definitur Florentino in Decreto Eugenii, & à Tridentino sess. 7. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura aut pauciora quam septem, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiæ, Penitentiam, Extremam Unionem, Ordinem, & Matrimonium, anathema sit.* Totidem numerantur quoque Theologi extiterunt, excepto Durando, qui negat matrimonium esse sacramentum: quoniam mentiantur hæretici, qui numerum illum sacrorum excogitant, & à Concilio Florentino obtruncatum Armenis esse dicunt.

Neque Theologi hunc numerum sacramentorum velut à se inventum tradiderunt, sed eo quod in Scripturis contentum, & ex Patrum traditione acceptum. Quamvis enim in Scriptura non dicatur in actu signato esse septem sacramenta asseritur tamen in actu exercitio, quatenus ea habetur, res significatas nomine Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Penitentiae, Extremæ Unionis, Ordinis, & Matrimonii, id est sacramenta, quod sic ostenditur. Sacramentum est ritus sacer, cui est annexa promissio gratiæ.

D Sed in sacra Scriptura habetur illa septem effectus sacros, quibus est annexa promissio gratiæ. Ergo ex Scriptura habetur septem esse sacramenta. Major patet, Minor probatur, diffinitio per singula. In primis enim Baptismus est sacramentum cui est annexa promissio gratiæ, sicut hæretici, & aperte colligitur ex illo Matth. 28. *Baptizantes eos, &c. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et ex illo Pauli ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquæ, in verbo vite.* De Confirmatione habetur Actuum 1. 19. per impositionem manuum Apostolorum se datum constanter Spiritum Sanctum quodcumque ipsi manus imponerent. Quod effectum fuisset infallibilis, neque Apostoli ad eum constanter hunc ritum usurpassent, sine Christi institutione, & promissione gratiæ Spiritus Sancti. Ritus Eucharistiæ habetur Matth. 26. & 1. Corinth. 11. *Accipit panem, & gratias agens, &c. promissio verò gratiæ Joan. 6. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ritus Penitentiae & promissio gratiæ simul habetur Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittantur eis.* De Extrema Unctione habetur institutio ritus tertii & promissio gratiæ Jacobi 5. *Infirmum quis ex verbis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si peccati fuerint, remittentur ei.*

mittuntur ei. De sacramento Ordinis institutio
ritus externi per manus impositionem, & pro-
missio gratiæ habetur 1. ad Timoth. 4. his verbis :
*Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est
tibi per prophetiam, cum impositione manuum Pres-
byterii. Et 2. ad Timoth. 1. Admonetio 1. ut resus-
citet gratiam quæ est in te per impositionem manuum
mentum. Denique ritus matrimonij habetur
Matth. 19. Quod Deus conjunxit, homo non sepa-
ret. Promissio verò gratiæ ad Ephes. 5. Sacra-
mentum hoc magnum est : ego autem dico in Chri-
sto & Ecclesia. His enim verbis docet Apolto-
lus, matrimonium in eo quod est conjunctio viri
& femine, esse magnum sacramentum in Chri-
sto & in Ecclesia, quatenus significat conjunctio-
nem Christi cum Ecclesia, ac proinde & gratiam
quæ ad ejus præsentiam datur : nam conjunctio
Christi cum Ecclesia est duplex, una secundum natu-
ram, quæ est facta per incarnationem, qua
Christus nedom Ecclesiæ, sed toti generi hu-
mano copulatur ; aliâ est per gratiam & charita-
tem, & hac soli Ecclesiæ conjungitur, & ratione
illius dicitur ejus sponsus : utramque verò con-
junctioem significat matrimonium ; primam sci-
licet, in quantum est unio quædam naturalis & car-
nalis inter virum & mulierem : secundam verò,
in quantum est etiam unio spiritualis inter virum
& mulierem, per gratiam & charitatem, quæ ad
ejus præsentiam datur.*

Favet etiam SS. Patres : unus pro omnibus
sufficit Augustinus, ejus, etiam apud hære-
ticos, autoritas magna est. Ille ergo lib. 5. de
Baptismo cap. 20. quatuor agnoscit sacramenta
novæ legis, nempe Baptismum, Extremam Uni-
ctionem, Eucharistiam, & Penitentiam, ait
enim : Si ad hoc valet quod dictum est in Evange-
lio, ut per peccatorem sacramenta non celebrentur :
quomodo exaudis homicidam deprecantem, vel
super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eu-
charistiam, vel super caput eorum quibus manus im-
ponitur ? nimirum per reconciliationem ? Et lib.
2. contra literas Petilianæ cap. 104. addit Confir-
mationem, his verbis : In hoc unguento sacra-
mentum Christi vult Petilianus interpretari ; quod
quidem in genere visibilibus signaculorum sacrosan-
ctum est, sicut ipse Baptismus. Item lib. 2. contra
Epistolam Parmeniani cap. 13. eodem modo lo-
quitur de Ordine ac de Baptismo : Virumque (in-
quit) sacramentum est, & quædam consecratione
utramque homini datur : illud cum baptizatur, istud
cum oratur. Et paulo post : Si enim utrum-
que sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud
non admittitur, & istud admittitur ? Neutri sacra-
mento faciendâ injuria est. Denique libro de bo-
no conjugali cap. 18. & 24. & lib. 1. de Nuptiis
cap. 10. manifestè docet matrimonium in nova le-
ge esse sacramentum.

Non desunt etiam congruentiæ quibus ea-
dem veritas suaderi potest, sed præcipua est illa
quam adducit S. Doctor his art. 1. & quæ potest
sic breviter proponi. Finis omnium sacramento-
rum est vita supernaturalis animæ acquirenda, &
ad perfectionem deducenda, cum aliqua simili-
tudine & analogia ad vitam corporalem : in vita
autem corporali primò generanda est proles, ei-
que vita communicanda. Deinde perducenda est
ad augmentum & debitam quantitatem per mo-
tum accretionis, & postea nutrienda per quotidia-
nam cibum, sine quo temporalis vita consistere
nequit : quæ tria per se homini conveniunt, & ad
vivendum sunt omnino necessaria. Sed quia vita

hominis multis miseriis & infirmitatibus obno-
xia, indiget duobus tanquam remediis : primò
quidem medicinâ ad recuperandam sanitatem, &
altero ad removendum languorem ex infirmita-
te contractum, quod fit per dietam & exercitium.
In vita ergo spirituali proportionaliter reperiri
debent hæc omnia quibus anima in esse gratiæ
perficiatur in seipsa. Primò enim generari debet,
& novum esse supernaturale primò recipere,
quod fit per Baptismum, qui ad Titum 3. voca-
tur Lavacrum regenerationis, & de quo Christus
Joan. 3. dicebat : Nisi quis renatus fuerit ex aqua
& Spiritu Sancto, &c. Deinde Augmentum & ro-
bur in hac vita spirituali debet per confirmationem
suscipere. Tertiò vices alimenti gerit in hac vi-
ta spirituali sacramentum Eucharistiæ, juxta illud
Christi Joan. 6. Caro mea verè est cibus, & san-
guis meus verè est potus. Denique quia ex quo
Adam peccavit, sæpe contingit hominem in mor-
bum spirituales incidere, duobus aliis sacramen-
tis indiget ad medelam : uno quidem tanquam
spirituali medicinâ ; scilicet penitentia, ad re-
movendum peccatum, quod est ægrotudo animæ,
& altero ad reliquias morbi, ejusque languorem
tollendum, scilicet Extremâ Unctione. Et hæc
sunt quinque sacramenta homini necessaria, ut
perficiatur quantum ad seipsum in ordine super-
naturali. Ceterum quia homo est animal socia-
bile & politicum, perfici adhuc debet in utraque
vita spirituali & corporali, quatenus est mem-
brum Reipublicæ, quod duobus modis fieri po-
test, primò suscipiendo potestatem administran-
di aliqua officia in Reipublica, quod in ordine
supernaturali fit per sacramentum Ordinis : dein-
de multiplicando Reipublicam, quod in utro-
que fit per Matrimonium, est enim & officium
naturæ ad propagationem naturalem ordinatum,
& simul sacramentum gratiæ.

Hanc rationem seu congruentiam breviter at-
tigit Eugenius IV. in Decreto unionis Armeno-
rum, his verbis : Nova legis septem sunt Sacra-
menta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eu-
charistia, Penitentia, Extrema Unctio, Ordo,
& Matrimonium. Horum quinque prima ad spi-
ritualem unicuique hominis in seipso perfe-
ctionem ; duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen,
multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptis-
mum enim spiritualiter renascimur, per Confir-
mationem augemur in gratia & roboramur in fide : re-
nati autem & roborati, nutrimur divine Eucha-
ristia alimonia. Quod si per peccatum ægrotudinem
incurrimus anima, per Penitentiam spiritualiter
sanamur ; spiritualiter etiam & corporaliter (pro-
ut anima expedit) per Extremam Unctionem. Per
Ordinem verò Ecclesiæ gubernatur, & multiplica-
tur spiritualiter, per matrimonium corporaliter
augetur.

Alij alias adducunt congruentias : sicut enim
(inquiunt) Deus septem dierum curriculo mun-
dum creavit, sic & Christus septem sacramento-
rum ordine, recreationis mysterium nobis im-
partitur, quæ illuminandis perficiendisque septem
virtutibus principalibus, veluti septem splendidis-
simæ Planetarum stellæ, sub fidei firmamento no-
bis irradiant, nostrisque medendis sceleribus, quæ
per septem plagas Ægypti designantur, salutifera
medicamina præbent.

Addit Javellus 5. parte Philosophiæ Christia-
næ, Tract. 1. cap. 5. præstantiora Dei opera in
Scriptura septenario numero designari & com-
prehendi. Nam Deus (inquit) sex diebus mun-
dum

dum fabricavit, & in septimo quievit: Genes. 1. Septem diebus precepit azyma comedi: Exodi 12. Septem agnos anniculos precepit immolari: Leviticus 13. Septem lucernas precepit poni super candelabrum in Sanctuario: Numer. 8. Solemnitatem Tabernaculorum precepit celebrari septem diebus: Deuteronom. 16. Septem instituit tubas fabulat: Josue 6. In septem capillis locavit Sanson fortitudinem: Judicum 16. Septem vicibus precepit Helisus Naaman Syrum lavari in Iordane, & sanatus est à lepra sua: 2 Regum 2. Sapientia excidit columnas septem: Proverb. 9. Septem panibus satiavit Christus quatuor milia hominum: Matth. 15. Septem Demonia eiecit à Maria Magdalena: Marci 16. Septem Spiritus in conspectu throni ejus sunt: Apocal. 1. Septem canababre aurea vidit Joannes: ibidem. Septem scelas in dextra filii hominis, id est Iesu Christi: ibidem. Si ergo (subdividem Author) divina bonitas in effectibus suis, in observantibus, in carentibus, in miraculis, septenarium numerum adeo magnificat, sapientissime certe disposuit, septem sacramenta in Ecclesia sua, ut septem rivulos ex fonte charitatis filij sui pro nobis passim effluentes.

8. Obijciunt in primis Hæretici, numerum illum septenarium Sacramentorum, nusquam exprimi in Scriptura, nullumque ex antiquis Patribus septem enumerare: imò Ambrosium, Dionysium, & Irenæum, duo tantum vel tria recensere sacramenta, nimirum Baptismum, Eucharistiam & Confirmationem, aut Pœnitentiam.

9. Sed ad hæc patet responsio ex supra dictis, ostendimus enim ex Scriptura dari septem ritus, quibus annexa est promissio gratiæ, subindeque septem sacramenta, quamvis hoc nomine non appellentur. Monstravimus etiam Augustinum variis in locis septem novæ legis sacramenta manifestè agnoscere. Ratio autem cur alij SS. Patres non omnia illa simul enumerent, est quia non nisi ex occasione de his aut illis disputant. Exempli gratiâ D. Ambrosius in libro de sacramentis, de tribus solum agit, Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia: quia (ut ipse proponit initio ejusdem operis) instituit solum de illis tractare, quæ Cathæcumenis simul cum Baptismo dabantur. Similiter Dionysius in libro de Eccles. hierarchia differit tantum de illis, quæ Hierarchæ, id est Episcopi, solemniter administrare solebant: nimirum de Baptismo, Eucharistia, Consecratione olei, & Ordinatione Clericorum. Et Irenæus lib. 1. cap. 9. ex occasione errorum Marci cujusdam circa Eucharistiam, de illa tractat. Tum de Baptismo cap. 18. ejusdem libri, refutans deliria circa illum hæreticorum illius temporis. Tum de Pœnitentia lib. 4. & sic de aliis, occasione aliorum errorum. Alij verò Patres ex septem novæ legis sacramentis, ea tantum interdum exprimunt, & inculcant, quæ ratione absolutæ necessitatis vel dignitatis præstant, sicut Eucharistiam & Baptismum, sine præjudicio tamen aliorum, ut in singulis ex professo patebit.

10. Obijciunt secundo: Sacramenta fluxerunt ex latere Christi, sub figura sanguinis, & aquæ: Sed sanguis & aqua significant Baptismum & Eucharistiam, ut exponunt Chrysostomus, Cyrillus, Damascenus, & alij: Ergo sunt tantum duo sacramenta novæ legis, scilicet Baptismus & Eucharistia.

11. Respondeo quod quamvis sanguis & aqua spiritualiter significant Baptismum & Eucharistiam, sub illis tamen, utpote communioribus, cætera comprehenduntur, quatenus Baptismus est prin-

cipium vitæ Christianæ, Eucharistia vero finis consummatio omnium sacramentorum.

Ad complementum hujus questionis, additionem aliorum argumentorum, advertendum est, non esse definitum à Florentino & Tridientino, nec à Theologis assertum, quod tantum septem sacramenta speciei infimæ, sed tantum tota, licet ex his quedam sint quæ præ species subalternas aut partiales continent. Ordo verbi gratiâ continet Episcopatum, Presbiterium, Diaconatum, & Subdiaconatum, & nobiles Ordines. Eucharistia duas species panis, videlicet cibum & potum sacramentalium, speciebus panis & vini, quæ duz species panis unum totale sacramentum per modum perfecti convivij constituunt, sicut & omnes Ordines unum totalem component, tendentem ad consummationem perfecti ministerii, quod quilibet per varios gradus ad Episcopatum culmen cendit.

ARTICULVS II.

Quinam inter sacramenta ordo reperitur?

PRO resolutione hujus difficultatis advertendum est, quod triplex inter sacramenta ordo spectari potest. Primus est ordo naturæ, regenerationis, quando scilicet unum naturale ordo aliquo modo prærequiritur, aut præsupponitur aliud. Secundus est ordo perfectionis, quando unum est nobilius alio. Tertius est ordo iustificationis, quando unum est magis necessarium quam aliud. Hoc supposito.

Dico primo: quantum ad ordinem naturæ generationis, sacramenta convenienter sic ordinari: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Ita in Concilio Florentino & Tridientino supra citatis definitur, & in Catechismo Romano Jusse Pij V. edito, his verbis declaratur: Primus numeratur Baptismus, veluti ceterorum omnium quo Christo renascimur. Deinde Confirmatio, cuius virtute fit, ut divina gratia augmentetur & roboretur. Tum Eucharistia, quæ tantummodo vere celesti spiritus noster alitur & sustinetur. Acquitur quarto loco Pœnitentia, cuius operis amissa resistentur, postquam peccata carnis excipiuntur. Postea vero Extrema Unctio, quæ ceterorum reliquie tolluntur, & animi vires revivuntur. Sequitur Ordo, quo publica Sacramenta ministeria perpetuò in Ecclesia exercenda, sunt, & omnes functiones exercitandas potestas traditur. Matrimonium, ut ex maris & femina legitima & legalis conjunctione, filij ad Dei cultum, & humani generis consecrationem, procreentur, ac religio serventur.

Ratio etiam suffragatur, nam ut dicitur D. Thomas hic art. 2. Sicut unitas ordine naturæ generationis, prior est quam multitudo, & privati homines sunt priores communitate, quæ quæ componitur ex privatis hominibus, licet multitudo ex unitatibus: ita sacramenta quæ pertinent ad perfectionem unius personæ, sunt priora illis quæ pertinent ad perfectionem multitudinis: Sed Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia & Extrema Unctio ordinantur per se primò ad propriam & privatam unius personæ perfectionem; Baptismus, ut generatio; Confirmatio, ut corroboratio; Eucharistia, ut nutritio; Pœnitentia, ut curatio; Extrema Unctio, ut per-

A hoc Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramen-
torum, Amor amorum, Dulcedo omnium dulcedi-
num. De quo plura, cum de hoc mirabili sacra-
mento dicemus.

B Respondeo quod licet Eucharistia ad bonum proprium fumentis ordinetur, & matrimonium ad bonum communitaris, tamen quia bonum istud est corporale, illud verò spirituale, Eucharistia sacramentum perfectius & excellentius est sacramento matrimonij.

Sed nego Consequentiam, quamvis enim Ordo respiciat bonum spirituale commune, Eucharistia verò bonum spirituale sumentis, illa tamen continet tam bonum particulare, quàm commune, cum contineat ipsummet Christum, in quo est omnis bonitatis spiritualis plenitudo.

necessitatis, tum Pœnitentiam, deinde Ordinem,
 & Matrimonium: Eucharistiam verò, Confir-
 mationem, & Extremam Undionem, non esse
 simpliciter, sed tantum secundum quid necessaria.
 Ita D. Thomas art. 4.

Patet hæc conclusio, quantum ad singulas partes: Baptismus enim, cum sit omnium sacramentorum janua, est necessarius necessitate medij, respectu omnium & singulorum. Deinde Pœnitentia, respectu plurimorum, nempe omnium qui post Baptismum incedant in peccatum mortale. Ordo verò & Matrimonium, licet non sint necessaria respectu singulorum, bene tamen respectu communitatis, administrandum sacramenta, & ad convenientem propagationem Ecclesie; Eucharistia autem, Confirmatio, & Extrema Unctio, licet sint valde utilia fidelibus, non sunt tamen simpliciter necessaria ad salutem. Unde cum dicitur Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, hoc est intelligendum de spirituali manducatione, & non de sola sacramentali, ut S. Thomas, post D. Augustinum, hic art. 4. ad 2. interpretatur.

Agunt hic aliqui de sacramentalibus, sed de his commodius in Tractatu de Pœnitentia dicemus, cum agemus de remissione peccatorum venialium per sacramentalia.

